



X 159

DISPUTATIO METAPHYSICA  
QVARTA

<sup>De</sup>  
**POTENTIA ET  
PRÆCIPVIS EIVS  
DIVISIONIBVS.**

Cujus Theses  
Sub PRAESIDIO  
**HENRICI RIXNERI**  
Phyl. & Metaphyl. Prof.

Ordinarij  
IN IVLEO MAIORI  
ad diem Aprilis  
Publice tuebitur

**HENRICVS JULIUS OPPERMAN**  
Schartzfeldensis Author.



X 150 (19)

*HELMESTADII,*  
Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.  
Anno CCCCC LXIX.



## S Y N Θ E Ω

I.



Tsí potentia propter transcendentiam suam perfecte definiri nequit, haud tamen perperam dices, esse facultatem sive aptitudinem, qua quid esse, agere vel pati potest. Potest, inquam: sive scilicet actu agat, patitur & existat, sive non.

II. Terminus *Potentiae* aliquando latius sumitur, indicium faciente Philosopho v. Met. XII. & ix. Met. i. quo patet omni illi tribuitur quod repugnantiam ex se non involvit: & est in thematicā, logica & objectiva: quas posteriores multi confundunt & pro iisdem habent. Sed male: quia potentia logica dicit non repugnantiam prædicandi: Objectiva non repugnantiam rei ad produci, & potentiam activam (cujus objectum res producibilis est) connotat.

III. Nonnulli potentiam objectivam impugnant: verum cum ejus nomine non realis potentia, sed nuda non repugnantia seu possibilitas ad produci intelligatur, cuiusmodi sane negari sine absurditate non potest, admittendam eam censemus.

IV. Potentia realis in Activam & Passivam dividitur, Illa Aristoteli definitur principium transmutandi aliud aut quatenus est aliud. Sed obstat hic potentia creandi, quæ activa est, neque tamen transmutationis principium. Vnde activam rectius definieris, vim seu facultatem agendi in aliud, quatenus est aliud: vel, principium, quo quid aptum est producere aliquid.

V. Passiva Philosopho est principium transmutationis fa-  
ctum ab

Et a ab alio, prout est aliud. Vbi notetur, per h̄o aliud non intelligendum esse aliquid a patiente realiter distinctum: s̄epe enim diversus modus ac respectus sufficit. Sic intellectus cum recipit species intelligibiles, omnino patitur, quia receptio passio est, neque tamen patitur ab alio realiter a se distincto, sed a se ipso. Nam ipse intellectus, qua agens species exphantasia elicit, & sibi ipsi qua patiens inprimis, adeoq; hic diversus tantum intercedit respectus. Tamen ut difficultates praescindantur dici poterit, potentiam passivam esse principium quo quid aptum est aliquid recipiendi.

VI. Activa potentia vel Naturalis est, vel Libera; sive ut Aristoteles loquitur ix Met. 11. vel irrationalis, vel rationalis. Illa ad unum oppositorum determinata est, & positis ad agendum requisitis non potest non agere, nec agere diversum: ut calor in igne: Hæc indifferens est ad opposita, & positis debitibus ad operandum conditionibus potest agere & non agere, agere item contrarium. Talis Deo, angelo, & homini, vel, ut verbo dicam, soli naturæ intellectuali competit.

VII. Non est tamen formaliter in intellectu, nec in voluntate & intellectu simul, uti Durando & Piccolomineo persuasum; sed in sola voluntate, quamvis in intellectu sic libertatis quædam radix seu origo. Et hæc sententia omnium, quod sciam, est Thomistarum & Scotistarum, aliorumque nulli certæ scholæ addictorum Philosophorum, ut Suarezii, Fonsecæ &c.

IX. Sub libera continetur Ordinata & Absoluta potentia. Illa est, qua quis agit secundum ordinem institutum & legem latam. Ista, cum contra vel præter ordinem illum ac legem actio sit. Et hoc pacto non sola divina potentia in ordinatam & absolutam dividitur, quod nonnullis placet; sed distinctio ea omni agenti intellectuali convenit.

IX. Po-

**IX.** Potentia Dei absolute considerata dicitur *omnipotentia*, qua is potest quicquid contradictionem, & in ipso imperfectionem non importat. Objectum igitur omni potentiae divinæ sunt omnia possibilia, & quæ nec contradictionem implicant, nec ullum in Deo defectum dicunt.

**X.** Nihilominus dantur aliqua, quæ perfectionum nomine veniunt, & tamen fieri à Deo non possunt, ut sunt informare materiam, generare physicè, comedere, &c. De his ergo tenendum, quod quanquam hi actus naturales perfecti sint in suo genere, non sint tamen perfecti absolute. Nam imperfectionem aliquam involuunt eo ipso, quia conjuncti sunt cum materia, quæ à Deo omnium confessione est remotissima. Interim actus illi non absolute ab omnipotentiae divinæ objecto excluduntur, quia ad eosdēta Deuseffective, per modum causæ universalis, concurrit.

**XI.** Postremo dividitur Potentia in Naturalem & Obedientiale. Naturalis est aptitudo rei, quæ ab agente naturali ad actum naturalem deduci potest naturaliter. Talis est in grano tritici, ut ex eo producatur arista: & in intellectu ratione actuum, quos frequenter elicit. Obedientialis est, qua quid aptum est ad actum supernaturalem, supposito speciali Dei concursu. Cujusmodi intellectui creato competit in ordine ad visionem beatificam: & lapidi respectu formæ animalis.

**XII.** Quidam volunt divisionem hanc esse tantum potentiae passivæ. Sed exempla quæ suppeditavimus manifestè evincunt, non tantum activam naturalem, sed & activam obedientiale dari, nisi negandum forte cum absurditate sit, aut intellectum potentiam activam ullo modo esse, aut eum supernaturali tantum operatione & speciali Dei concursu ad actum visionis beatificæ elevari.

**F I N I S.**





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



DISPUTATIO METAPHYSICA  
QVARTA

*De*  
**POTENTIA ET  
PRÆCIPVIS EIVS  
DIVISIONIBVS.**

Cujus Theses

Sub Praesidio

**HENRICI RIXNERI**  
Phyl. & Metaphys. Prof.

Ordinarij

*In Ivleo Maiori*  
ad diem Aprilis

*Publice tuebitur*

**HENRICVS JULIUS OPPERMAN**  
Schartfeldensis Author.



X 150 (19)

*HELMESTADII,*  
Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.  
Anno Cccc ccc Lxix.